Proh tantum potuit vis conjurata malorum!
    Tantum hominum cęcę pectora noctis habent!
Scilicet aurea secla tibi reditura putabas
    Europa! a nostri clade Sodalitii.
Credula! tolle oculos, partem circumfer in omnem,
    Et, quę sit facies rerum hodierna, vide!
Adspicis infestos populos, agitataque regna
    Alterum in alterius proruere excitium;
Templa profanata, et pollutas cędibus aras
    Undique, et horrenti diruta tecta situ;
Cive domos vacuas, desertaque rura colono,
    Perfugium miseris vix super exulibus.
Insultat cęlo impietas, reverentia legum
    Nulla, fides cessit, fasque pudorque procul
Omne ruit temere frenum indignata juventus,
    Et florem ętatis deterit ante diem.
Non ego sum, Nemesin qui cęlo devocet, aut qui
    Cuncta hęc de nostro funere nata velit;
Sunt tamen, averti, aut minui potuisse ruinam,
    Qui nostro incolumi corpore stante putent.
Signassemus enim pręclaram sanguine causam,
    Aut populis nostra mens rediisset ope.
Hęc alii. Mihi non tanta est fiducia nostri,
    Supremi veneror Numinis arbitrium;

Quodque

Quodque licet, tumulos obeo, sparsasque per orbem
    Complector fratrum pectore relliquias.
Queis ubi summa dies jam fessum junxerit ęvo,
    Hęc erit ad tumulum spes mihi fida comes:
Posteritas, quę non odio, nec amore feretur.
    Pensabitque mei gesta Sodalitii,
Cętum hominum talem, dicet, nec prisca tulere,
    Nec, conata licet, secla futura ferent.

Venetiis **MDCCCI**
Tipis Petri Zerletti
Cum Approbatione.